

## APPENDICES.

### APPENDIX I (ad n. 8, p. 14).

#### SYNOPSIS PRÆCIPUARUM SECTARUM PROTESTANTIUM AB ORTU PSEUDO-REFORMATIONIS.

I. — **Protestantismi præcursores** : — Protestantismus pro præcursoribus immediatis, in XV<sup>o</sup> sæc., habuit Wiclef et Joannem Huss, quorum prior quidem, in Angliâ natus, vastum elaboraverat systema è pantheistico quodam fatalismo oriundum atque in subversionem omnis auctoritatis potissimum ecclesiasticæ desinens (V. Blanc: *Cours d'hist. eccl.*, leç. CXXI, 7), — posterior autem, in Bohemiâ, practicam ejusdem systematis partem ardentè promoverat (Blanc, l. CXLIII, 3). Illorum verò errores à Concilio Constantiensi damnati (ibid. l. CXLIV, 4), magis ac magis consopiebantur, quum, Luthero antesignano, successit Protestantismus.

II<sup>o</sup> **Protestantismi in genere dogma, mens et fata**. — Protestantismus qualis præsertim è Lutheri vesanis impetibus primum prodiit, duobus constabat elementis contradictoriis. Ex unâ enim parte, suo *dogmate* eò tendebat ut naturam humanam ultra modum deprimeret, ipsam nempe dicens libertate privatam, radicaliter insanabilem et extrinsecâ solùm imputatione justitiæ Christi Deo reconciliabilem (de hac parte agitur apud Theologos in *Tr. de Gratia*, atque hic etiam cfr. p. 39, not. 2). Ex alterâ autem parte, eò suâ tendebat *mente* ut hominis superbiam ultra modum extolleret, ipsum nempe ab omni Ecclesiæ auctoritate eximens ut veritatem è Scripturis per privatam examen, et reconciliationem cum Deo per solam fidem sibi compararet. — Inde duplex quasi profluvium erroris: unum siquidem in naturæ humanæ imminutionem tendens, semper sequebatur eundo, è Luthero nempe ad Baium, è Baio ad Jansenium; alterum autem in negationem omnis auctoritatis fertur, semper intumescens,

è Luthero ad Voltarium, è Voltario ad Hegelium, ut in *Tr. de Verâ Religione* diximus (p. 101).

Porro de hoc tantum, in primâ suâ parte, i. e., in *Protestantismi* propriè dicti evolutione, agendum.

III<sup>o</sup> **Primitivæ protestantismi sectæ** : (Blanc, leç. CLVI, 3) : — Protestantismi, in primâ ipsius ætate, quinque præcipuæ exsurrexerunt sectæ, scilicet: *Lutheranismus* (1517); *Anabaptismus*, (1521); *Anglicanismus* (1534); *Calvinismus* (1536); *Socinianismus* (1546). — Quas inter *Lutheranismus* primigenius exstitit et quasi medium quoad doctrinam tenuit locum. — Hujus à lævo, ut ita dicam, surrexit *Calvinismus*, qui nempe contradictorios sæpe Lutheri excessus in systema composuit, et in quibusdam punctis, in Eucharistiâ notatim, post primos *Sacramentarios*, longius Luthero processit; — à dextro autem, stetit *Anglicanismus*, qui primum sub Henrico VIII, vix à Catholicismo nisi è Papatûs negatione differre visus est, usquedum postea cum Calvinismo misceretur, ut modò dicitur.

Et hi tres quidem suam quisque propriam habuerunt sedem, Lutheranismus videlicet in Germaniâ et Scandinavis regnis, Calvinismus in Helvetiâ, et aliquatenus in Galliâ, præsertim demum in Bataviâ atque Scotiâ. — Interea autem *Anabaptismus* qui à solâ ferè Inspiratione lumen expectat (V. supra, p. 30), et *Socinianismus*, qui, è contrâ, omnia ad Rationis captum reducere conatur, hinc et inde nullâ fixâ sede volitantes, sibi accensebant animos quotquot inveniebant in extrema quæque sive fanaticismi sive rationalismi propensos.

IV<sup>o</sup> **Calvinismi immixtio in Anglicanismum** : — (Blanc, leç. CLIII, CLV). — Calvinismus mox in Anglicanismum irrepit, ut patet in *XLII Articulis* sub Eduardo VI promulgatis, atque iterum, — post Catholicismi momentaneam sub Mariâ reginâ restitutionem, — in *XXXIX Articulis* sub Elisabethâ latis atque definitivè exhibitis, in quibus nempe Calvinismus eminet, paululum tamen dissimulatus et retento præsertim episcopatu (V. supra, p. 81, 82, not.). Hinc 1<sup>o</sup> in ipso ecclesiæ Anglicanæ gremio tres, ut ita dicam, factiones: — *High Church* (la *Haute Eglise*), episcopatu præsertim addicta, et quæ multa de Catholicismo retinuit (1); ex hac prodire recentius Puseyistæ, de quibus supra p. 298; — *Low Church* (la

(1) V. Emin. Manning : *Les fondements de la Foi*, p. 65.

*Basse Eglise, ou l'Eglise évangélique*), multò magis in Calvinismum dedita; — ac demum *Broad Church* (*l'Eglise large*) in latitudinarismum et rationalismum propendens. — 2° Ab *Ecclesiâ* verò Angliæ *Constitutâ* et aliis ad instar ejus ecclesiis *episcopalistis*, quæ in Americâ præsertim existunt, separatos sese tenuère rigidiores Calvinismi asseclæ, in Scotiâ præsertim, sub nomine *Puritanorum* vel *Presbyterianorum* (V. suprâ, p. 83), è quibus etiam orti sunt *Independentes* et *Congregationalistæ*.

V° **Sectarum mysticarum evolutio**: — Anabaptistis primùm bellicosis (Blanc, leç. CLII, 3; CLIV, 4) successerant Anabaptistæ pacifici seu *Mennonitæ*, sicut et hodiedum *Baptistæ*. Ad eandem mentem referuntur *Quakeri*, *Pictistæ* cum *Fratribus Moravis* seu *Hernhuter*, *Methodistæ Wesleyani* in Angliâ, hodie in 8 sectas divisi, et cæteri qui apud nos dicuntur generatim *methodistæ*; item et visionarii propriè dicti, uti *Swedenborgiani*, *Irvingiani*, *Mormones*, etc. (Cfr Dixon: *La nouvelle Amérique*; de quâ V. *Correspondant*, mai 1867; vel *Bibliographie cathol.*, Oct. 1869).

VI° **Sectarum rationalisticarum evolutio**: — His jam præluserant tum *Zwingliani* mox à Calvinistis absorpti (ibid. CLII, 6); tum *Libertini* inter ipsos Calvinistas oriundi (CLV, 4); sed Sociniani præcipuum dedere impulsus (ibid. CLVII, 1). Qui quidem in Italiâ orti, sed inde passim vagantes, maximè autem in Poloniâ, postea in Hollandiâ *Arminianos* seu *Remonstrantes* sibi conciliarunt (ibid. CLXIII, 1, 2); atque exinde in Angliâ pepererunt *Unitarios* hodie in Americâ florentes, sicut et *Universalistas*, etc., etc.

Hæc satis de variis Protestantium familiis, quibus addere convenit *Unionem Evangelicam* quam Reges Prussiæ, ab anno 1817, instituere tentaverunt inter præcipuas Protestantismi Germanici communitates (V. *Correspondant*, 25 juin, 1869).

Cæterùm multùm abest quin omnes enumeremus; et certè

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,  
Ferrea vox, ...  
Omnia sectarum percurrere nomina possim.

(V. Perrone: *De Locis theol.*, p. II. n. 196 not.; et cfr DD. de Ségur: *Causeries sur le Protestantisme d'aujourd'hui*, 2° P., VI; D. Delière: *S'il est nécess. de croire à qq. ch. pour être protestant*, p. 59; etc.)

## APPENDIX II (ad n. 22, p. 50).

### DE INFALIBILITATE SYNAGOGÆ.

Theologi generatim admittunt Religionem mosaicam in natione Judaicâ usque ad Christum fuisse indefectibilem (V. Mart. Becanum: *Analogia Veteris Novique Testamenti*; ap. Migne: *Scrip. S. t. II*, p. 73, 74; — Suarez: *De fide*, Disp. IX, S. III, n. 3, 5; — Bossuet: *Confér. avec Claude*, P. 1°, versus finem; *II° Instr. sur les Prom.*, n. 22). Imò, si qui defectibilem admittere videntur, uti Stapleton (Opp. t. I, p. 56, 57), id probabiliter admittunt non pro totalitate sed pro majoritate nationis; quemadmodum enim non illi Religioni promissa erat catholicitas in orbe, ita forsitan nec majoritas in natione. — En igitur quædam sive majoris sive saltem minoris Judæorum partis infallibilitas *passiva*. An verò fuerit pariter, eodem tempore, infallibilitas *activa* in magisterio Synagogæ docentis, quod per summum Sacerdotem principaliter exercebatur, non itidem convenit; et quidem absolutè supplenda dici posset per missionem Prophetarum frequentissimam (V. suprâ p. 4). Unde à nonnullis negata est — 1 — inter Rabinos (de quibus ap. Gravinam. O. P., in *Biblioth. Pontif. Rocaberti*, t. VIII, p. 503), — 2 — inter Christianos (de quibus ap. Tanner, S. J.; *De fide* n. 271), maximè autem — 3 — inter Hæreticos (de quibus ap. Gretser. S. J. in *Defens. Bellarmini*, def. c. III, l. III, *de Verbo Dei*, t. I, p. 1218; cfr et t. II, p. 1105). Illas autem omnes negationes confutant *ex professo* Theologi prædicti, quibus addi etiam debet Martinus Becanus, loco suprâ cit. nec non et ibid. p. 147; itemque Dominicus à SS. Trinitate, O. P., qui præcipuè consulendus videtur, ap. Rocaberti, t. X, p. 307 et ss. (Cfr et alios in Indice Rocaberti notatos, v° *Synagoga Synagogæ Pontifices*). — Item et Bellarminus: *Controv.* t. I, *De Verbo Dei* l. III, c. IV, cum notis Ebermanni; nec non ibid. *De S. Pontif.* l. IV, c. III, n. 36-38; cum notis ejusdem post c. VI, n. VII; — M. Canus: *De locis theol.*, l. VI, c. III, ap. Migne *Theol.* t. I, p. 423; — Ysambertus: *De judice controv.*, D. IV, a. VII; Opp. t. III, p. 436; — etc.; etc. Unde verè videtur opinio infallibilitatis Veteris Synagogæ ac speciatim summi Sacerdotis fuisse apud Catholicos communis (sicuti testatur Gravinam, l. cit.), nec forsitan nisi sub influxu Gallicanismi decrevisse, etiamsi illam adhuc sustinere videantur Bossuet: *Confér. avec Claude*,  
20.

P. 2<sup>de</sup>, ante med.; *II<sup>e</sup> Instruct. sur les Prom.*, n. 24; — La Hogue. cum quâdam reservatione: *Tr. de Eccl.* p. 114 et ss.; — Regnier autem hæsitet: *De Eccl.*; ap. Migne *Theol.*, t. IV, p. 445-49.

Porro iis generatim Auctoribus ratio illam infallibilitatem affirmandi desumitur 1<sup>o</sup> à Deuteron., XVII, 8 et ss., cum II Paralip., XIX, 8 etc.; ubi, sicuti jam diximus (suprà, p. 41), ad Sacerdotes, et speciatim ad Pontificem qui præsidet, remittitur ut iudicet in omni controversiarum genere tam de Lege Domini quàm de causis civilibus (V. Becan. loco cit. p. 153), ut indicet *judicii veritatem*, — et quidem cum obligatione sequendi sententiam ejus sub pœnâ mortis. (1) Atqui, ut observat Dominicus à SS. Trinitate (loco cit.), in rebus temporalibus, quæ possunt salvâ conscientia relinqui, talis pœna irrogari potest propter inobedientiam et contumaciam, etiamsi iudex falli quiverit; « at res non ita se habet ubi agitur de ipsâ fide, deque suscipiendo aliquo ejus dogmate, vel de cultu aliquo exteriori tanquam fidei internæ signo; quia nulla unquam potest esse causa rationabilis, propter quam debeat Fidelis, vel possit in conscientia obedire judici præcipienti, etiam sub pœnâ mortis, ut aliquid credat, vel suscipiat tanquam dogma fidei, aut exerceat velut interioris fidei signum, quod tamen propriè est contra fidem. » — Unde, concludit præfatus auctor, Deus non potuit ita jubere nisi voluerit simul Summum Sacerdotem infallibilem esse in interpretandâ Lege, quum iudicaret « ex cathedrâ » circa res fidei.

Et 2<sup>o</sup> id omnes confirmant ex hoc ipsius Christi (Matth., XXIII, 2, 3): « *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* »

Adversus hanc thesim objectiones ejusdem ferè modi efferuntur ac adversus Infallibilitatem papalem, et simili etiam modo solvuntur (V. v. g. ap. Becan., p. 154 et ss.) — Sic ad peccatum Aaronis in vitulo aureo (quemadmodum ad peccatum Petri in trinâ renuntiatione), respondetur illum tunc nondum fuisse Pontificem. — Ad alia quæ proferuntur in exemplum falsi à Pontificibus iudicati, ostenditur illic non adfuisse iudicia definitiva circa interpretationem Legis.

(1) De constitutione et continuitate summæ hujus Judicaturæ, tam in sacris quàm in civilibus, apud Summum Sacerdotem, V. recentem *Lucubrationem* Prof. Alois. Vincenzi: *De sacrâ Hæbreorum et Christianorum Monarchiâ et de Infallibili in utrâque magisterio* (Romæ, 1872).

Ad principalem verò objectionem, quæ nempe desumitur ex condemnatione Christi à Pontifice et Sanhedrino, respondetur infallibilitatem eorum, ex ipsis prophetiis, non perpetuò duraturam fuisse, sicut infallibilitatem Papæ et Ecclesiæ, sed tantummodò usquedùm Messias venisset, et prophetiarum adimpletione ac miraculis sufficienter probasset se esse præcise illum à prophetis prænuntiatum lapidem, in quem Synagoga offendens caderet. Atqui res ita se habuerunt tempore Christi. Et certè ipsa amissio *sceptri* temporalis, per quod Synagoga Judaica illuc usque sua iudicia sanciverat, satis significabat veram ac realem amissionem ipsius iudicaturæ, quæ nempe ad Messiam transibat (Cfr. *Tr. de Verâ Relig.*, p. 217, not. 1). Non mirum igitur si jam Synagoga tota circa interpretationem Legis et Prophetarum vacillat et errat: quod quasi gradatim videre est in tribus illius responsionibus ab Evangelistâ relatis; quarum videlicet 1<sup>a</sup> adhuc omninò vera (Matth., II, 5, 6): «... *Ubi Christus nasceretur?.. In Bethleem Judæ* »; — 2<sup>a</sup> vera in sensu objectivo, non subjectivo (Joan., XI, 50): «... *Expedi ut unus moriatur homo pro populo*; — quod Caiphas « à semetipso non dixit, sed quum esset Pontifex anni illius prophetavit »; — 3<sup>a</sup> jam omninò falsa (Matth., XXVI, 56): « *Reus est mortis* » (1): in quâ ultimâ cecidit Synagoga (Cfr. Becan., p. 77, et alios auctores passim indicatos).

Hæc satis circa hanc quæstionem, quam penè oblitam volumus tantum, pro posse nostro, in attentionem Theologorum reducere.

### APPENDIX III (ad n. 31, p. 80, not.)

DE DIVERSA RATIONE QUA SOCIETAS ECCLESIASTICA ET SOCIETAS CIVILIS CONSTITUUNTUR.

I. — Omnis certè potestas tam civilis quam ecclesiastica à Deo est (Rom. XIII, 1), eo quòd Deus, quum velit homines socialiter vivere

(1) Ysambertus (loco cit.), subtiliùs forsàn quàm convenit, conatur huic etiam ultimæ responsioni aliquam attribuere veritatem objectivam, in sensu nempe mystico, eo quòd Christus reapse *reus erat mortis* « non quidem propter aliquod peccatum proprium, sed propter aliena quæ in seipso capienda susceperat » (Cfr. Dominicum à SS. Trinit., op. cit., p. 310).